

DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,
QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Martis nonâ Januarii, anno Domini M. DCC. XLII.

M. FRANCISCO-FELICITATE COCHU, Scholarum Professore designato, Doctore Medico, Præside.

An in acutis aliquando cunctandum?

I.



MORBORUM divisiones propè innumeræ: Has inter, primas tenent Chronici & Acuti. Chronicos dicunt qui longius temporis emetiuntur intervallum; Ut Quartana intermittens, Hydrops, Paralysis, &c. Acuti vero nuncupantur qui spatio breviori stadium suum percurrunt. Hi rursus sunt, vel simpliciter acuti, vel summè acuti. Simpliciter acutos vocant v. g. Febrem continuam, Pleuritidem, Peripneumoniam, Febrem malignam. Summè acutorum ordini ascribunt Febrem ardentem, Apoplexiam. Omnibus in hisce morbis non eadem instituenda venit curandi methodus; In Chronicis, quo longior morbus, eo seriùs curatio protrahitur. Nec tantum negotii Medico plerumquè

facesseret æger qui veritatem hanc non impatienti teneret animo. Verùm, licet in Acutis celer requiratur Curatio, in summè acutis celerior; non ideò præproperâ utendum festinatione. Quæ in Chronicis prodest expectatio, confert & in acutis. Festinat lentè Medicus prudens. Sat citò, si sat benè. Huic igitur insistat methodo quæ si non compendiaria magis, saltem magis efficax. Præcipiti remediorum farragine vires ægri non exhauriat. Sapienter otiosus, noscat salubres non avertere Crises; hæc cunctando obtinebit.

I I.

CUNCTARI in acutis, est naturæ conamen non interturbare, eam non urgere nimis. Quot & quanti, cunctationi præbent ansam. Hos inter non infimum tenent locum Peripneumonia, Pleuritis, & Febris maligna. Sint igitur in exemplum: frequenter etenim occurrunt, & violentioribus stipantur symptomatis. Iis sua sunt ut aliis stadia; initium scilicet, incrementum, status & declinatio. Pleuritis seu inflammatio membranæ costas interius cingentis, à rigore plerumquè, & horrore orditur. Hos excipiunt calor, sitis, inquietudo, aliaque Febrium symptomata. Elapsis horis quibusdam æger vehementi dolore eoque punctorio in laterum alterutro corripitur. Hic dolor nunc ad Scapulas excurrit, nunc ad spinam, nunc versus anteriora pectoris spatiatur. Spiritus fit difficilis. Accedit & tussis initio sicca; mox humida fit, & ex affecto loco ducere aliquid incipit. Id primò flavè coloratum, posteà rubrum & cruentum. Pulsus frequens, durus, inæqualis. Quæ, & alia satis nota symptomata si violentiùs urgeant, intrà diem septimum perit æger: Si verò mitiori se prodant sub facie, circà decimumquartum diem spes salutis affulget. Pleuritidi sæpè se comitem jungit Peripneumonia quæ à priore, ex Sydenhamo, gradu tantum, & pro majori ejusdem causæ intentione, extentuque latiori differt. Quidquid in hisce morbis nimis properando moliatur Medicus, non proficiet. Per initia sanguinem fundat, & quidem largâ manu, ne symptomátum violentiæ succumbat æger: Verùm cùm remiserint, illa statim evellere non satagat. nec rursus sanguinem fundendo Febrem gestiat extinguere. Hâc methodo frangentur tantùm ægri vires, præpostero Cardiacorum usu non revocandæ. Vasa, fibræque tonum amittent; & quæ futura erat proficua crisis, nulla erit, vel imperfecta. Intereà, forsan haud imminuta, typum servabit Febris, & quidem non inutiliter; materiæ enim morbificæ concoctionem promovet. *Hanc ut acceleres*, inquit Sydenhamus, *non satagendum nescio quibus attemperantibus, sed Febris effervescentia tandiù permittenda est, quandiù salus ægrorum passa fuerit.* Sed quæ in Pleuritide, & in Peripneumoniâ plurimùm valet cunctatio, in Febre malignâ longè utilior.

I I I.

FEBRES malignas dicebant antiqui eas solas quibus jungebantur Carbunculi, Bubones, vel Exanthemata purpurea. Nostro ævo, *malignitatis* nomen latiùs extenditur. An perperam? Extra Cancellos foret hæc disquisitio. Eam proponemus Febris continuæ speciem quæ à gravium symptomatum agmine, & pervicaciâ, malignas inter hodiè reponitur; ex signis præcipuis definienda. Primo insultu, nonnunquam tam blandè serpit, ut qui corripitur eâ, vix ubi doleat, interroganti possit assignare. Pulsus sat æqualis, sanorumque pulsui in eo tantum dissimilis

quod ſit quodammodo intricatus. Addunt ſe faſtidium cibi, vomendiquè conatus. Verùm circà diem tertium evoluuntur ſymptomata. Jam adſunt motus convulſivi, qui primùm in carpi tendinibus conſpicui, mox oculos, labia, faciemque totam occupant. Hinc riſus Sardonicus, injuſſa lacrymarum effuſio. Lingua ſicca fit & arida, flavo circà margines, atro versùs medium fæda colore. Nulla non eſt pars quam mulctare non amet humor morbidus. Nunc caput impetit, Lethargumque infert aut Phrenitidem. Nunc inſidet pectori, Pleuritidemque mentitur, & Peripneumoniam; Vel in infimum ventrem delabitur, inflammationem ibi minitans. Denique, Protheus alter, tot formas & tam celeri paſſu induit, ut vinciri vix poſſit, & vinci. Raro, antè diem vigeſimum-primum ſedatur hæc Febris: aliquandò ultrà quadrageſimum excurrit. Quantum in tantâ ſymptomatum Iliade requiritur ſagacitatis! Numquid eo quo recrudeſcunt inſtanti ſemper remediis debellanda? minimè. Adeſt initio vomendi deſiderium, inappetentia, oris amaror; jam depleta vaſa, Febris remiſſior; Emetico ſtomachum moveas, non gravabor: In primis equidem viis latitat ut plurimùm morbi fomes; & hâc methodo, non mediocrem hujus educes copiam. Sed dum ſanguini transfuſus humor totam infecerit molem, Catharticis æger non divexandus; expectanda Concoctio; *Concocta enim*, inquit Cous, *medicamento purgante educenda, & movenda: non cruda; neque per initia niſi turgeant: plurima verò non turgent. Sect.* 1ª. *aphor.* 22. & paulo inferius, ſic pergit; *in acutis morbis, rarò, & in principiis medicamentis purgantibus utendum, idque diligenti ante adhibitâ circumſpectione faciendum Eâd. ſect. aphor.* 24. Non minor in venâ ſecandâ requiritur cautio. Perſeverant dolor capitis, delirium: ergone ſanguis iterum atque iterum mittendus? abſit. Attentè quieſcas: huic quæ malum portendere videbatur dolori ſuccedet Hæmorragia felix, nulla ſanguinis miſſione compenſanda. Nec brevior fieret morbus, licet totam exhauſeris ſanguinis maſſam. Quidquid moliaris, ſtadium ſuum ſemper ſervabit ille. Verùm quantum afferres detrimenti, ſi ultrà vigeſimum-primum diem ægrum torqueret humor incoctus, & indocilis? Phlebotomiâ frequentiori, & Catharſi repetitâ obrutus æger, tanto oneri ſuſtinendo impar, defectu virium cederet fato. Multò magis proficiet ille qui remediis opportunè adhibitis violentiores morbi inſultus repellendo, noſcit & opportunè iis abſtinere: Qui ex conſulto nihil agens, naturam ſui juris eſſe ſinit.

I V.

QUÆ in Peripneumoniâ, Pleuritide, & Febri malignâ confert expectatio, in acutorum ceterorum pleriſque commendatur: Quippe nullus fere eſt in quo per aliquod tempus ſibi ipſi relinqui non debeat æger. Quin & in ipsâmet Apoplexiâ acutiſſimâ, aliquandò cunctandum. Sanguis celeriter quidem & magnâ copiâ, ſed incaſſum, fuit eductus; Volatilia, Veſicantia, Emetica, Cardiacis conſociata nihil profecerunt; ne morbum rurſus urgeas. Humor ſibi permiſſus externas partes Paralyſi percutiendo, penetralia vitæ ſervabit intacta. Si vero repetitis remediis efferatur idem ille humor, internas opprimet partes, mortemque ineluctabilem accerſet: Quæ mors, nunc vitæ quod ſupererit momento forſan optabilior, niſi ſemper homini ſatius pati quàm mori. Mirè inſuper Criſium doctrinæ famulatur expectatio. Criſes ab antiquis, & ab Hippocrate præſertim tantum æſtimatæ non minus noſtris temporibus, & ſub noſtro cælo utiles. Dubiæ, quoad dies, non ſunt quoad effectus incertæ. Frequentiùs hodiè, feliciorique ſub omine ſe

oſtenderent, niſi intempeſtivo, præcipitique remediorum uſu, vel penitùs amoverentur, vel redderentur imperfectæ. Hinc tam rarò nec tam proſperè erumpunt Parotydes, Hæmorragiæ, Sudores, &c. E contrà haud infrequentes ſunt internæ *Metaſtaſes* ferè ſemper ægris funeſtæ.

V.

NON diffitemur quod per acutorum initia, & exacerbationes, vix detur cunctationi locus. Principiis obſtandum, ne morbus eundo vires acquirat, ægrumque ſuo gravet pondere. Periculum in morâ. Nec inficias iverimus quod in acutorum declinatione, remediis non prorsùs abſtinere aliquandò conferat. Quin & in ipſomet, ut ita dicam, cunctationis momento poſſunt utiliter præſcribi. Sic Diluentia, Ptyſanæ, Clyſmata, Cæteraque levioris armaturæ præſidia, non ſunt penitùs flocci facienda. At, ne quid nimis. Haud parum profeciſſe gloriabimur, ſi id tantummodò cognoſcendum præbuerimus, in acutis remedia non eſſe remediis cumulanda; illumque verè Medicum eſſe qui naturæ diligens indagator, eam non intempeſtivè deterret à propoſito. Dum naturam vincit morbus, naturæ feras opem; Verùm dum natura victrix morbum fugare potis eſt, triumphi ſpectaculo tranquillè fruatur Medicus. Sic Dierum decretoriorum, Criſiumque judex erit optimus. Noſcet, quod ſatagendo nimium, poſſit eas interturbare, & quod, nihil agendo, iiſdem faveat. At, inquies, quid juvat ad Criſes attendere? Nimis afferunt tædii: faciendæ potiùs quàm expectandæ. Quaſi arte meliùs regerentur quàm naturâ! Poteſtne ſanguis è venâ eductus, fluxui menſtruo æquiparari? Quid plura? Cunctatio in acutis Priſcorum Medicorum nititur praxi. Rectæ Criſium doctrinæ famulatur; Quotidianis eſt obſervationibus congrua. Denique, hâc poſitâ, curatio ſi non celerior, tutior ſaltem ac felicior. Stet itaque hæc concluſio.

Ergò in acutis aliquando cunctandum.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Petrus le Hoc, Medicus Regis ordinarius in ejus Caſtelleto, & utriuſque Pharmaciæ Profeſſor deſignatus.

M. Joannes Baptiſta Boyer, Regis Conſiliarius, & in Senatu Pariſienſi Medicus ordinarius.

M. Jacobus-Benignus Winſlow, Regiæ Scientiarum Academiæ Societatiſquè Regiæ Berolinenſis Socius, Teutonicæ linguæ Regius Interpres.

M. Antonius-Nicolaus Guenault.

M. Bernardus de Juſſieu, Regiæ Scientiarum Academiæ, Regiæque Societatis Londinenſis Socius & in Horto Regio Botanices Prodemonſtrator.

M. Antonius Pepin, Regis Conſiliarius & in portu Breſtenſi Medicus Primarius.

M. Paulus-Jacobus Malouin.

M. Franciſcus Mery.

M. Joannes Herment, Medicus Regis ordinarius.

Proponebat Pariſiis CAROLUS-FRANÇISCUS BOUTIGNY DESPREAUX, Ambianenſis, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1742, à ſextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1742.